



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

|

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

stitutio particularis id prohibens. S. Congr. Episc. in Conimbricensi, 21. Ianuarij 1621.
Non permittitur Hebrais accessus ad moniales, & accedentibus sine licentia infligitur exilium à Ciuitate, & diœcesi. S. Congr. Episc. in Rauennatenfi, 28. Nouembris 1594.
Hebræorum sit vna tantum synagoga, neque vicina nostris Ecclesijs, Paulus I V. sub anno 1555. Pius V. 1567.
Promulgetur aliquando constitutio Gregorij XIII. 1581. contra blasphemias eorum. Quod si deliquerint in prædictis, fortiantur forum Ecclesiasticum, *ibid.*
Gaudet priuilegijs, libertatibus, ac immunitatibus ciuium loci, in quo baptizantur. Paulus I II. sub anno 1542.
Confugientes ad Ecclesiam gaudent illius immunitate. S. Congr. Immunitatis, sub mense Februarij 1631.
Hebræus coiens cum Christiana, velè contrà, ordinariè punitur, putà exilio. S. Congr. Episc. in Senogallensi, 22. Septembris 1620.
Hebræus confugiens ad Ecclesiam pro ciuili, gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 26. Septembris 1652. in Sarzanensi: *lib. 4. decr. Paul. fol. 160. à tergo.*
Synagogam vnā tantum in qualibet Ciuitate status Ecclesiastici habere possunt Iudæi, & tamen tenentur quotannis soluere ducatos decem pro qualibet Synagoga, etiam demolita, seu demolienda, domui, seu hospitali catechumenorum de Vrbe. Paulus I V. constitutione 9. *Dudum*, 23. Martij 1556.

Heredes, Hæreditas.

Heredes venientes ab intestato, qui sunt in possessione bonorum, priuari non possunt per viam executionis, sed procedi debet cum libello, iuris ordine seruato. S. Congr. Episc. in Monopolitana, 18. Octobris 1593.
Clericus etiam si sit hæres laici, & lis concepta, seu contestata fuerit in vita testatoris, conueniri non potest coram Iudice laico. S. Congr. Immunit. 4. Decembris 1629.
Prælati absque beneplacito Apostolico, sed seruatis alijs seruandis, præiudicare potest Ecclesiæ suæ in acquirendis, putà renunciare substitutionibus, siue hæreditatibus in fauorem Ecclesiæ factis in casu mortis, vel defectionis lineæ, vel non implementi onerum primi instituti. S. Congr. Episc. in Calliensi, 27. Iulij 1605.
Intelligitur tamen, dummodo renunciatio fiat in fauorem venientium ab intestato; nam in fauorem aliorum hæreditas nondum adita cedi posset; adita verò cedi non potest sine assensu Pontificis, aliàs cessio nulla est, & cedens incurrit pœnas. Rota apud Caputaquensem *decis. 359.*
Heredes non possunt cogi ad soluendas collectas pro bonis à defuncto Ecclesiæ relictis, *ibid.*
Ordinarius non potest præcipere Monialibus, vt assignent Professæ vsumfructum suæ hæreditatis. S. Congr. Episc. 13. Iunij 1614.
Nepos ex filio spurio, vel nepos spurius ex filio naturali, & legitimo potest ab auctore non clerico hæres institui, nisi pater Clericus sit. Pius V.

Hierosolymitani.

Equites Hierosolymitani remittuntur Magistro id petenti, non obstante quod S. Congregatio mandauerit Ordinario, vt eos puniat. S. Congr. Episc. in Nicoteriensi, 19. Augusti 1603.
Etiam cum delinquant extra claustra, Eadem S. Congr.

12. Martij 1602. Eo tamen casu puniri possunt ab Ordinario in terminis Concilij Trid. S. Congr. Episc. 13. Nouembr. 1600. & in Tranensi, 17. Iulij 1603.
Solet etiam id committi Nuncijs Apostolicis. Eadem S. Congr. 1. Septembris 1602.
Ordinario quoque aliquando committitur, vt procedat contra eos, maxime si non communicant in Pascha. Eadem S. Congr. 10. Dec. 1610. & 26. Febr. 1616.
Ordinarius iterum affigere debet cedulones contra Hierosolymitanum à se pro diuersis excessibus excommunicatum, sicut & Episcopus loci, vbi habitat excommunicatus, non obstante declaratione nullitatis censuræ, facta ab ipsis militibus, cum sint Iudices incompetentes. S. Congr. Episc. in Closina, 6. Februarij 1615.
Potest Ordinarius procedere contra eosdem, si accedant ad Monasteria Monialium contra formam decreti. S. Congr. Episc. in Neapolitana, 12. Iulij 1599. & 18. Febr. 1605. & in Parmensi, 29. Augusti 1614.
Clerici, Presbyteri, vel alij Ministri delinquentes, qui acti seruiunt Ecclesijs Hierosolymitanis, puniuntur ab Ordinario iuxta constitutionem 67. Gregor. XIII. *Circumspecta*, & Concilium Trid. *sess. 24. cap. 11.* modò non viuunt intra claustra, subiecti obedientiæ dictorum Militum copulatiuè. Eadem S. Congr. in Ianuensi, 14. Augusti 1582.
Tunc tamen poterit eos carcerare, & superioribus consignare, iuxta terminos Concilij puniendos. S. Congr. Episc. in Consentina, 18. Febr. 1598.
Ordinarius compellere potest Hierosolymitanos ad executionem decretorum Visitationis Apostolicæ, etiam in Bulla Pij V. non comprehensorum; aliàs enim ea visitatio quoad ipsos raro haberet effectum. S. Congr. Episc. 36. Iulij 1580.
Non potest Episcopus prohibere, ne celebretur in Ecclesijs Religionis Hierosolymitanæ à Sacerdotibus, tam Fratribus, quàm Capellanis dicti Ordinis, absque sua licentia. S. Congr. Episc. 29. Aprilis 1606.
Clerici, qui sub prætextu Religionis Hierosolymitanæ incedunt armati, & sine habitu, puniri debent ab Episcopo, modò non ostendant receptionem. S. Congr. Episc. 18. Octobris 1602.
Vide *Equites Hierosolymitani.*
Curati Religionis Hierosolymitanæ tenentur interuenire consecrationi Oleorum, sicut tenentur alij. S. Congr. Episc. 20. Maij 1586.
Similiter ad processiones, & alia. Eadem S. Congr. 28. Aprilis 1599.
Et ad exponendas quadraginta horas per turnum. Eadem S. Congr. 17. Septembris 1619.

I

Immunitas.

AD priuationem priuilegij immunitatis requiritur concludens probatio. Die 7. Nouembris 1651. in Laudensi: *lib. 4. decr. Paul. fol. 136.*
Confugiens ad Crucem existentem in via, gaudet immunitate. Die 7. Decembr. 1638. in Meluitana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 81.*
Viridarium Ecclesiæ gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 8. Iunij 1658. in Barenfi: *lib. decr. Roccij, fol. 92. a tergo.*
Ecclesia diruta gaudet immunitate. Die 16. Decembris 1659. *lib. decr. Roccij, fol. 233.*
Immunitate Ecclesiastica gaudent, qui cum armis prohibitis in Ecclesiam se recipiunt. S. Congr. Episc. 30. Septembris 1616.

Immu

Immunitate Ecclesiastica gaudere debent Clerici, qui post delicta patrata ad Ecclesias confugiunt extra casus in Bulla Gregorij XIV. comprehensos, cum in hoc casu Abbatis opinio communiter sit reprobata. S. Congr. Episc. in Tropiensi, 24. Ianuarij 1617.

Immunitate Ecclesiastica gaudet pro debito ciuili ad Ecclesiam confugiens. S. Congr. Episc. in Cotroneensi, 21. Iulij 1617. & in Beneuentana, 10. Maij 1619. & in Senogallienti, 22. Nouembris eiusdem anni.

Immunitate Ecclesiastica non gaudent heretici suspecti, & Iudæi, qui post conuersionem apostatarunt, & publici latrones, viarumque grassatores, depopulatores agrorum, homicidiaque in Ecclesiis, & cæmeteriis perpetrantes, & qui proditoriè aliquem occidunt, assassinii, & læsæ Majestatis in personam Principis rei. Gregorius XIV. constitutione 7. *Cum alias*, 9. Kal. Ianu. 1591.

Immunitate Ecclesiastica non gaudent Capellæ priuatorum palatiorum. S. Congr. Episc. in Marficensi, 17. Nouembris 1617. & S. Congr. Immunit. in Perusina, 9. Decembris 1631.

Immunitate à collectis, tam ordinariis, quàm extraordinariis gaudent coloni, aut affectuarij, vel partuarij bonorum Ecclesiasticorum pro portione colonica. S. Congr. Episc. in Oppidenti, 18. Septembris 1618.

Immunitate ab omnibus exactionibus, & tributis secularibus gaudet Clerici patrimonium, ad cuius titulum fuit ordinatus. S. Congr. Episc. in Catharensi, 3. Augusti 1592.

Immunitate à gabellis, & aliis oneribus laicalibus priuare non potest Ordinarius Clericos inseruiantes Ecclesiis, sed iidem Clerici, nisi ut supra inseruiant, ac habitum & tonsuram clericalem deferant, aut beneficium Ecclesiasticum obtineant, priuilegio fori non gaudent. S. Congr. Episc. 14. Ianuarij 1631.

Immunitate Ecclesiastica non gaudet mater occidens filium infantem. S. Congregat. Concilij, 3. Decembris 1632.

Immunitate Ecclesiastica non gaudet, qui committit homicidium veneno. S. Congr. Concilij, 3. Decembris 1632.

Immunitate non gaudet mulier, quæ malis medicamentis procurat abortum. S. Congr. Concilij, eodem die, & anno.

Immunitate Ecclesiastica gaudet furans in Ecclesia. S. Congr. immunitatis in Squillacensi, 18. Martij 1631.

Cognitio, an extractus gaudeat immunitate, tam secularis, quàm regularis, de iure communi spectat ad Episcopum, etiam præcisâ Bullâ Gregorij XIV. quæ loquitur de laicis. S. Congr. Episc. in Melitensi, 25. Octobris 1602. & in Rossanensi, 10. Martij 1610.

Non ad Nuncium, nisi specialiter commissa. S. Congr. Episc. in Florentina, 16. Iulij 1627.

Cognitio delictorum commissorum à confugiatis spectat ad Ordinarium, cui concessa fuit extrahendi licentia. S. Congr. Episc. 26. Iunij 1607.

Episcopus permittere non debet, ut de cutribus, seu iumentis onustis Ecclesiasticorum auferantur, utputâ lignorum frusta, seu fasciculi. S. Congr. Episc. in Mutinensi, 15. Nouembris 1616.

Magistratus secularis non potest prohibere, ne Clerici reponant frumentum in ædibus laicorum, & e conuerso. Episcopus tamen providere debet, ne committatur fraus. S. Congreg. Episc. in Nouariensi, 16. Septembris 1596.

Permitti non debet, quod Clerici se constituent in carceribus laicalibus, etiam pro copia processus habenda. S. Congreg. Episc. in Hydruntina, 19. Nouembris 1609.

Nec idèd Iudex laicus potest contra eos in contumacia

procedere. S. Congr. Episc. in Neapolitana, 9. Octobris 1623.

Sed sufficit habere certam notitiam extraiudicalem, quod carceratus sit persona Ecclesiastica, ad hoc, ut eum remittere teneatur. S. Congr. Episc. in Aquilana, 16. Febr. 1589.

Et debet credere Ordinario. Eadem S. Congr. in Cremonensi, 13. Februarij 1596.

Immunitate Ecclesiæ gaudent inferentes in illa sfrigia. S. Congr. Episc. 16. Nouembris 1618.

Qui elapsus è manibus satellitum confugit ad Ecclesiam, vel apprehendit parietem, aut feras ianuæ, gaudet immunitate. S. Congr. Episc. 31. Martij 1604. & 18. Iulij 1614. & 20. Decembris 1616.

Gaudet etiam comprehensus, qui per locum sacrum ducitur. S. Congr. Episc. in Sipontina, 12. Martij 1613. & in Theanensi, 13. Iulij: & in Hieracensi, eodem die, & anno.

Immunitate Ecclesiæ gaudent omnes fideles cuiuscumque conditionis, & ordinis, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, etiam si decoctores, etiam si blasphemii, dummodò blasphemia non sit hereticalis. S. Congr. Episc. 21. Iulij 1617.

Excipiuntur casus in constitutione Gregorij XIV. expressi.

Immunitate gaudet attentans mutilare, vel occidere, non sequuto effectu. S. Congr. Episc. 22. Ianuarij 1627.

Immunitate gaudent Clerici confugiens ad Ecclesiam, respectu vtriusque Iudicis. S. Congr. Episc. in Faentina, 20. Augusti 1601. & in Tropiensi, 24. Ianuarij 1617.

Ad licentiam extrahendi concedendam non requiritur certitudo delicti, sed sufficit dubium; nec est necesse, quod talis opinio, vel dubium resultet ex notitia iudiciali, sed sufficit extraiudicialis, etiam quæ resultet ex processu Iudicis laici. S. Congr. Episc. in Neapolitana, 23. Aprilis 1602. & in Messinensi, 4. Maij 1604. & in alia Neapolitana, 1. Iulij 1622.

Ad consignandum verò Curia seculari non sufficit sententia contumacialis, sed plenior probatio requiritur. S. Congr. Episc. in Cremonensi, 24. Februarij 1612. & 27. Iulij 1618. in Lucensi.

Non potest consignari propter solum processum factum à Iudice laico. S. Congr. Episc. in Neapolitana, 25. Iunij 1600. & in Vescana, 15. Octobris 1613.

Decretum Clementis VIII. ad Archiepiscopum Panormitanum fuit locale. S. Congr. Episc. in Neapolitana, 1. Iulij 1622.

In materia immunitatis procedendum est per viam censurarum, non capture. S. Congr. immunit. in Verulana, 14. Decembris 1626.

Immunitatem localem Ecclesiasticam violantes, offendendo eos, qui ad Ecclesiam confugiunt, incurrunt in excommunicationem Bullæ Gregor. XIV. *Cum alias*. Quæ excommunicatio procedit etiam in attentantes extrahere, etiam effectu non subsequuto, ut patet ex dictæ Bullæ verbis.

Immunitatem Ecclesiasticam violantes imponendo munera personalia, sordida, seruilia Ecclesiasticis, incidunt in canonem 18. Bullæ Cœnæ Domini.

Immunitatem Ecclesiasticam violantes imponendo Ecclesiasticis munera personalia honesta, vel indifferencia secularia, incidunt in canonem 15. Bullæ Cœnæ Domini.

Immunitatem Ecclesiasticam violantes imponendo Ecclesiasticis onera patrimonialia, personalia, vel mixta, & Ecclesiastici illis consentientes, incidunt in canonem 18. Bullæ Cœnæ.

Infidelis.

Infidelis.

Seruus, seu sclauus infidelis, gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 18. Februarij 1631. in Catacensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 95. à tergo.*

Infidelis gaudet immunitate Ecclesiæ. S. Congr. immunitatis, sub mense Februarij 1631.

Non debet permitti, quod infideles ingrediantur in Ecclesiam, dum celebratur Missa: neque Sacerdotes celebrent coram eis. S. Congr. Episc. in Mediolanensi, 23. Iulij 1603.

Iniuria.

Iniuria afficientes per violentam manus iniectionem Clericos, vel Religiosos, incidunt in canonem *Si quis suadente*, 17. q. 4.

Iniuria afficiens Papam, vel Cardinalem in personam, incidunt in Bullam Cœnæ, *cap. 11.*

Iniuria afficientes personam Episcopi, & præcipuorum Ecclesiæ Prælatorum, incidunt in dictum canonem 11. Bullæ Cœnæ.

Iubilaum.

Vide verbo *Absolutio*, num. 9. & sequentibus.

Iudeus.

Vide *Hebreus*.

Iudex.

Iudex Archiepiscopatus gaudet priuilegio fori, non tamen eximitur à gabellis. Die 14. Ianuarij 1630. in Panormitana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 24.*

Iudex familiaris Episcopi gaudet priuilegio fori, & immunitate ab oneribus personalibus. Die 11. Decembris 1614. in Vasonensi, *in regeſto.*

Iudex loci delicti cognoscere debet de causa, non originis, vel domicilij. S. Congr. Episc. in Barensi, 18. Septembris 1618.

Læici possunt in causis profanis conueniri à Clericis coram Iudice laico, non obstante prohibitione synodali. S. Congr. Episc. in Castellatenensi, 20. Augusti 1602. & Liciensis, 28. Febr. 1605.

Iudex Ecclesiasticus procedere debet vt pater, non informationes capere pro qualibet re leui, neque reuoluere processus antiquos. S. Congr. Episc. in Andriensi, 10. Decembris 1602.

Non debet dare suos processus Iudici laico. S. Congr. Episc. in Messinensi, 5. Decembr. 1600.

Nec ipse vt processu Iudicis laici, nisi pro indicio ad capiendam informationem. S. Congr. Episc. in Acheruntina, 4. Iunij 1602. & in Laudensi, 23. Aprilis 1655.

Iudices Ecclesiastici possunt etiam pœnam pecuniariam infligere, applicandam locis pijs, iuxta Concilium Trid. *sess. 25. cap. 3. de reform.*

Iudices laici possunt pœnas imponere contra non obseruantes dies festos. Verùm si Episcopus alicui licentiam dederit, non possunt illum punire. S. Congr. Concilij in Placentina, 28. Augusti 1628.

Iudices laici non debent habitare, vel exercere iurisdictionem in locis immunibus, maxime criminales. S. Congr. Episc. 5. Martij 1602.

Causa laici, qui facit insultum Curiae laicali spectat ad Iudicem laicum priuatiuè. S. Congr. Episc. in Tudertina, 25. Iunij 1655.

Iudex secularis nec indicia à foro Ecclesiastico regulari-

ter sumere potest. S. Congr. Episc. 14. Septembris 1621.

Licet aliquando id inueniatur concessum. S. Congr. Episc. 10. Nouembris 1618. & 15. Augusti 1620.

Iudex Ecclesiasticus non debet dare processum, vel copiam, vel aliam scripturam Iudici seculari pro habendis indicis eorum, qui simul deliquerunt cum Ecclesiastico, sed solum illum ei extrajudicialiter ostendere. S. Congr. Episc. 16. Ianuarij 1601.

Concessit semel Summus Pontifex Magno Duci Hettruriae copiam processus violationis clausuræ Monialium ad malum finem pro puniendis laicis de huiusmodi excessu indicatis. S. Congr. Episc. in Florentina, 12. Nouembris 1620.

Iudex Ecclesiasticus non potest condemnare super processu facto à Iudice laico; quia testes examinati in foro laicali non probant contra personas Ecclesiasticas. S. Congr. Episc. 20. Augusti 1601. & 28. Nouembris 1614.

Et speciatim in materijs immunitatis, præsertim ad finem consignandi extractum Curiae seculari. S. Congr. Episc. 10. Martij 1610.

Iudex laicus non debet iudicare in domibus Ecclesiasticorum, nec ipse, vel eius Ministri hospitium querere, præsertim in Conuentibus Regularium. S. Congr. Episc. in Materana, 5. Decemb. 1581.

Multo minùs in ipsis Ecclesijs, vel earum porticis exercere actus iudiciarios, tam ciuiles, quam criminales, neque bellicorum tormentorum rotæ laxari, siue archibusia exonerari. S. Congr. Episc. in Senogallienſi, 19. Augusti 1579.

Iudex laicus non potest in Ecclesia anferre reo arma prohibita sine licentia Episcopi. Quia Iudex secularis prohibetur exercere iurisdictionem aliquam in Ecclesia, *ex cap. 1. de immunit. Eccles.* S. Congr. Episc. in Sipontina, 12. Maij 1604. & in Salernitana, 30. Septembris 1616.

Iudex secularis non potest in Ecclesia, vel alio loco immuni testem, vel reum formaliter examinare, vel cadaueris recognitionem facere, neque ad id licentiam concedere potest Episcopus, sed à Sanctissimo, vel à S. Congregatione immunitatis petenda est. S. Congr. Episc. in dicta Sipontina, 12. Maij 1604.

Iudex Ecclesiasticus antequam Iudices seculares personam Ecclesiasticam de assassinio condemnent, debet declarare ab ea fuisse commissum assassinium. Clemens VIII. constitutione 37. *Aqua*, 18. Decembr. 1595.

Iudices Ecclesiastici possunt in prima, vel secunda, vel tertia monitione laicos concubinarios punire aliquâ pœnâ pecuniariâ pijs locis, vel apparitoribus applicanda, stante præsertim consuetudine illius Ecclesiæ. S. Congr. Concilij apud Barbol. *in collect.*

Iudex laicus cognoscere præsumens causas Ecclesiasticas, licet merè possessorias, incidit in excommunicationem canonis 15. Bullæ Cœnæ Domini. S. Congr. Episc. in Cauenſi, 19. Augusti 1603.

Iudex loci delicti cognoscere debet de causa, non originis, vel domicilij. S. Congr. Episc. 18. Sept. 1618.

Iudices intronitentes se in officio Auditoris Cameræ excommunicationem Papæ incutunt. Pius IV. constitutione 33. *Ad eximiam*.

Ius Ecclesiasticum.

Iura Ecclesiastica Episcopi tueri debent respectu quorumcunque personarum, & contra quascunque etiam Communitates Status Ecclesiastici, & extra. Die 30. Nouembris 1634. in Romana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 210.*

Iura Ecclesiæ, & laudabiles consuetudines in honorem

F Dei,

Dei, & Ministrorum eius sunt tuenda, & conferuanda. S. Congr. Rit. in Narniensi, 16. Iulij 1605.

Infirmi.

Illegitimus.

Filius illegitimus Clerici gaudet, viuentis eius patre, fori priuilegio. Vide *Filius*.
 Illegitima non potest esse Abbatisa, vel Priorissa, nisi habilitetur à Sanctissimo, vel à S. Congregatione. S. Congr. Episc. in Messinensi, 15. Aprilis 1625.
 Ad alia verò officia habilitari potest ab Episcopo. Eadem S. Congr. 27. Maij 1602.
 Non tenetur soluere dotem maiorem ex hoc solum capite, quod sit illegitima. Eadem S. Congr. 23. Aprilis 1616.

Impunitus.

Concedi potest solum à Principe. S. Congr. Episc. in Albigeniensi, 6. Octobris 1528.
 Concedi solet complici, etiam mandanti, vel mandatorio, modò non sit solus. S. Congr. Episc. 11. Ianuarij 1630.
 Apponi solent huiusmodi conditiones. Non sit principalis, vel solus. Det indicia sufficientia, ex quibus veniri possit in cognitionem delinquentium. S. Congr. Episc. in Faentina, 14. Iunij 1628. & in Beneuentana, 11. Augusti, & in Aliphana, 1. Decembris 1629.
 Dicat veritatem tam contra se, quàm contra omnem alium conspiratorem, actorem, consultorem, auxiliatorem, complicem, participem, seu quolibet alio modo culpabilem. Explicando debitas circumstantias locorum, temporum, causarum, conuentionum, & tractatum, ita vt ex tali depositione procedi possit ad punitionem reorum, aliàs impunitatis concessio nullius sit roboris, vel momenti. S. Congr. Episc. 26. Februarij 1638.

Incorrigibilis.

Religiosus, qui commisit diuersos, & graues excessus, de quibus nunquam voluit emendari, nec pœnitentiam pro ipsis impostam peragere, est incorrigibilis. S. Congreg. Episc. 22. Ianuarij 1596.
 Vt quis sit tanquam incorrigibilis priuatus priuilegio Clericali, requiritur, vt monitus non respuerit, & sequuta sit declaratio per Iudicem Ecclesiasticum petentem facta de incorrigibilitate. S. Congr. Episc. in Papiensi, 8. Decembris 1597.
 Antequam possit consignari Curia laicali requiritur sententia Iudicis Ecclesiastici. Die 26. Augusti 1636. S. Congr. Immunitatis lib. 3. decr. Paul.

Indulgentia.

In Bulla antiquas Regularium indulgentias renocante, & nouas concedente, non comprehenduntur concessæ eorum Ecclesiis, & eas visitantibus. S. Congr. Episc. in Panormitana, 8. Augusti 1614. & 17. Nouembris 1620.
 Publicari non possunt indulgentiæ de nouo concessæ absque licentia Ordinarij loci, neque ab exemptis. Eadem Sacra Congregatio.
 Indulgentiam plenariam concedentes Religiosi excommunicationis sententiam incurrunt ipso facto Papæ reservatam, ex Clementina I. de priuilegiis.
 Non tamen incurrunt in excommunicationem latam in canone 17. Bullæ Cœnæ contra usurpantes iurisdictionem spirituales.

Quando capiuntur informationes contra Episcopum, Vicarius residere non debet in iis locis, vbi manet Commissarius. S. Congr. Episc. in Sorana, 8. Iulij 1586.

Dum vacat Ecclesia, committi solet Ordinario vicino. S. Congr. Episc. in Cariateni, 27. Nouembris 1601.

Item quando proprius Ordinarius est suspectus. S. Congr. Episc. in Fundana, 1. Octobris 1655.

Ad dandam informationem non est necessarium, quod Ordinarius, siue Gubernator videat processum authenticum, sed sufficit, quod acta viderit talia qualia, vel etiam aliunde fuerit informatus. S. Congr. Episc. in Anconitana, 2. Decembris 1625.

Qui instat mitti ad capiendas informationes, debet etiam expensas subministrare accessus, recessus, ac viæ pro Commissario, & familia toto tempore, quod eum propterea morari oportuerit; alioquin datur facultas ipsi Commissario eas recipiendi propria auctoritate. S. Congreg. Episc. in Cathaceni, 1. Martij 1640.

Informationes iudiciales non Iudici solum, sed & Notario dari possunt. S. Congr. Episc. in Ciuitatis Castellæ, 3. Iulij 1601. & in Castellatenensi, 20. Augusti 1602.

Informationes extraiudiciales secretè capi solent ab Episcopis vicinis contra Episcopos de aliquo graui crimine accusatos. S. Congreg. Episc. 4. Nouembris 1603. Vel de inhabilitate. Et aliquando mandatum fuit Episcopo vicino, vt eò se personaliter transferret. S. Congreg. Episc. in Narniensi, 4. Iunij 1655.

Similiter etiam secretè capiuntur informationes de conversationibus minus honestis, vel delictis carnalibus mouialium. S. Congr. Episc. in Ferrariensi, 10. Martij 1601.

Interdictum.

Ecclesiæ Regularium interdicti non possunt ad instantiam alicuius personæ, etiam si Cardinalatus honore, vel alia quavis fulgente dignitate sit insignita, nec per Auditorem S. Palatii, aut quoscunque alios Iudices (nisi tota Ciuitas, seu oppidum, vbi Monasteria Regularium consistunt, Apostolica, seu Ordinaria auctoritate Ecclesiastica supponantur interdicto.) Et in huiusmodi monasteriis degentes Regulares ad huiusmodi interdicti obseruationem minime tenentur, ex priuilegio Leonis X. Fratribus Minoribus Obseruantia concessa, vt habetur in compendio Minor. tit. Interdictum, §. 15. & Gregorij IX. & aliorum Summorum Pontificum Ordini S. Ioannis Hierosolymitani, vt habetur in eodem loco, §. 26. & 27.

Itali.

Itali ad primam tonsuram, vel minores ordines promoti cum falsis dimissoriis fori priuilegio non gaudent. Urbanus VIII. constitutione 33. Secretis; secuta tamen Indicis Ecclesiastici declaratione, §. 4.
 Itali proficiscentes ad habitandum extra Italiam, id suis Ordinariis significare debent, nec extra Italiam habitare possunt in iis locis, vbi fidei Catholice liber cultus non permittitur, nisi illuc pergant de licentia Sedis Apostolicæ, Clemens VIII. constitutione 42. Cum sciet.

Iubileum.

Iubileum.

Excommunicatus absolutus vigore Iubilæi prætere-
re non potest amotionem cedulorum. S. Congr. Episc.
in Biterrensi, 3. Iulij 1637.

Episcopus tempore Iubilæi prohibere non debet, ne
quis confessiones audiat extra parochialem, & multo
minus, ne absoluat, qui damnum dedit in bonis
Ecclesiæ, nisi prius damnum restituerit, & iniunctam
pœnam soluerit. S. Congr. Episc. in Clusina, 21. Fe-
bruarij 1620.

Regulares tempore Iubilæi confiteri possunt cuicum-
que Confessario approbato, tam seculari, quam cu-
iusvis ordinis Regulari, & absolui, etiam à casibus
suo superiori regulari referuatis. S. Congr. Episc. 19.
Aprilis 1583.

Distribuire elemosynas collectas in Ecclesiis Regula-
rium tempore, & occasione Iubilæi, pertinet ad Or-
dinarium. S. Congr. Episc. 16. Iunij 1628.

Monialibus tempore Iubilæi dari debet Confessarius ex-
traordinarius. S. Congregatio Episcoporum, 21.
Martij 1628.

Iuramentum.

Iurantes, aut iurare facientes contra Ecclesiæ liberta-
tem, aut contra decreta Concilij Tridentini, sunt ipso
facto excommunicati, & absolutio Papæ referuatur.
Gregor. XIII. *const.* 103.

Iurare non tenetur Episcopus in ingressu ad suum Epi-
scopatum statuta, quæ sacris canonibus, & S. Con-
cilij decretis, Apostolicis constitutionibus sunt
contraria, nisi à Sede Apostolica ex certa scientia
confirmata existant. S. Congr. Concilij in Oriolen-
si, 27. Martij 1632.

Iuramenta exigentes, eaque præstantes de obseruandis
iniquis statutis, vel consuetudinibus, scriptis, vel non
scriptis, illicitis, impossibilibus, vel libertati Ecclesiæ
contrariis, incurrunt Episcopi, seu Pontificali
dignitate præditi suspensionem à diuinis; Vniuersi-
tates autem Ecclesiæ, id est Capitula & Conuen-
tus, eorumque Ecclesiæ & loca omnia localia incur-
runt interdictum, scilicet personale, vel locale respec-
tiue, vt latius ex Bulla Gregorij XIII. 93. *Inter Apo-
stolicas*, & in Bulla Cœnæ.

Iurisdictio.

Iurisditionem Episcopi impediens, vel officiales Cu-
riæ Episcopalis in actu exercendi suum officium of-
fendentes, quacumque exemptione non obtinente, ab
Episcopo coerceri, & puniri possunt. S. Congr. Con-
cilij in Panormitana, apud Aldanum.

Iurisdictio, quæ vigore Concilij Trid. *sess.* 24. *cap.* 11.
competit Ordinario in oblatos carentes qualitatibus
expressis, *ibid.* in *verb.* *Exceptis*, eidem Ordinario tri-
buita est cumlatiue, non priuatiue ad superiores Re-
gulares, & in criminalibus tantum, non autem in ci-
uilibus. S. Congr. Concilij apud eundem.

Iurisdictio in iis, in quibus Episcopo tribuitur à iure
communi, & Concilio Tridentino, ac constitutioni-
bus Apostolicis in Regulares, potest illos Episcopos,
etiam sub censuris Ecclesiasticis compellere. S. Congr.
Concilij in Nebbensi, 7. Febr. 1633.

Iurisditionem laici exercentes contra libertatem Ec-
clesiasticam, decretis, seu præceptis specialibus qui-
buscunque; item partes ea procurantes, incurrunt in
canonem 15. Bullæ Cœnæ.

Iurisditionem Ecclesiasticam Ordinarium turbantes,

seu impediens quicunque, incidunt in canonem 16.
Bullæ Cœnæ.

Iurisditionem Ecclesiasticorum Ordinarium laica
potestate impediens incidunt in canonem 16. Bul-
læ Cœnæ.

Ius congrui.

Clerici, qui non gaudent privilegio fori, comprehen-
duntur legibus, & statutis Principum, & Magistra-
tum secularium, etiam quoad ius congrui, tam actiue,
quam passiue. S. Congr. Concilij, 2. Decembr. 1623.

Ius patronatus.

Sacra Congr. &c. censuit fundatori Conuentus conce-
dendum esse ius patronatus honorificum, & quod in
collectis exprimentur nomina defunctorum, non au-
tem viuorum. S. Congregatio Episcoporum, 14. Ian-
uarij 1606. & 3. Aprilis 1620.

L

Laboratores Ecclesiasticorum.

Laboratores huiusmodi, & alij damna dantes non de-
bent molestari à Iudice laico. Die 19. Aprilis 1627.
in Anconitana: *lib.* 1. *decr.* Paul. *fol.* 44.

Laboratores Ecclesiasticorum non tenentur dare notam
frumenti Gubernatori. Die 18. Nouembris 1653. in
Auximana: *lib.* 5. *decr.* Paul. *fol.* 24.

Laicum.

Laici tentantes subornare testes in causa pendente co-
ram Iudice Ecclesiastico, possunt per Episcopum pu-
niri. S. Congr. Immunit. in Rhegiensi, 18. Martij 1631.
Laici dum diuina celebrantur, non debent inter Cano-
nicos, & alios Ecclesiæ præbendatos in Choro stare,
vel sedere. S. Congr. Rit. in Compostellana, 4. Fe-
bruarij 1600.

Laici possunt cogi ad declarandum eorum edictum ge-
nerale, quod scilicet ea lege neque Ecclesia, neque
Clerici ligantur. S. Congr. Immunit. 7. Decembr. 1632.
Et S. Episcoporum Congregatio 23. Martij 1612. præce-
pit Episcopo Lucerino, vt per suum publicum edictum
declararet nullum quoddam bannum à Præsede illius
Prouinciæ promulgatum, ne quis auderet ponere sibi
sedes in Ecclesia inter pulpitem, & Audientiam Re-
giam, quatenus ipse Præsides illud reuocare noller.

Laicus non potest esse Vicarius Episcopi; si tamen Epi-
scopus feudum, seu iurisditionem secularem haberet,
pro ea Vicarium laicum deputare potest, nisi reus sit
Ecclesiasticus. S. Congr. Episc. 16. Maij 1581. & 3. Iu-
lij 1582.

Laicus potest esse procurator in causis spiritualibus,
excepto quod Cancellarius, seu Magister Actorum
non potest facere officium procuratoris in eodem
Tribunali. S. Congr. Episc. in Ciuitatis Ducalis, 2.
Octobris 1586.

Laicus socius Clerici sortitur forum Clerici. S. Congr.
Episc. 18. Decembr. 1583.

Causæ laicorum culpabilium in fuga Monialis spectant
ad Iudicem Ecclesiasticum, maxime quando præue-
nit in captura monialis, cum hæc causa non sit diui-
sibilis; nec permitti debet, vt assistat examini perso-
na laica. S. Congr. Episc. in Ragulina, 6. Aprilis 1619.

A laicis non potest concedi licentia pro quaestu ele-
mosynarum